

CLAUDIEN

PANEGYRICUS MANLIO THEODORO (360 vers)

PANEGYRICUS DICTUS MANLIO THEODORO CONSULI

PRAEFATIO

MT_1 v.1 Audebisne, precor, tantae subjecta catervae,
 2 inter tot proceres, nostra Thalia, loqui ?
 3 Nec te fama vetat, vero quam celsius auctam
 4 vel servasse labor vel minuisse pudor ?
 5 An tibi continuis crevit fiducia castris
 6 totaque jam vatis pectora miles habet ?
 7 Culmina Romani majestatemque senatus
 8 et, quibus exultat Gallia, cerne viros.
 9 Omnibus audimur terris mundique per aures
 10 ibimus. Ah nimius consulis urget amor !
 11 Juppiter, ut perhibent, spatium cum discere vellet
 12 naturae regni nescius ipse sui,
 13 armigeros utrimque duos aequalibus alis
 14 misit ab Eois Occiduisque plagis.
 15 Parnasus geminos fertur junxisse volatus ;
 16 contulit alternas Pythius axis aves.
 17 Princeps non aquilis terras cognoscere curat ;
 18 certius in vobis aestimat imperium.
 19 Hoc ego concilio collectum metior orbem ;
 20 hoc video coetu quidquid ubique micat.

PANEGYRICUS

MT_2 v.1 Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaque late
 2 Fortunae secunda nitet nec fascibus ullis
 3 erigitur plausu petit clarescere vulgi.
 4 Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis,
 5 divitiis animosa suis inmotaque cunctis
 6 casibus ex alta mortalia despicit arce.
 7 Attamen invitam blande vestigat et ultro
 8 ambit honor : docuit totiens a rure profectus
 9 lictor et in mediis consul quaesitus aratris.
 10 Te quoque naturae sacris mundique vacantem,
 11 emeritum pridem desudatisque remotum
 12 judiciis eadem rursus complexa potestas
 13 evehit et reducem notis imponit habenis.
 14 Accedunt trabeae : nil jam, Theodore, relictum,
 15 quo virtus animo crescat vel splendor honori.
 16 Culmen utrumque tenes : talem te protinus anni
 17 formavere rudes, et dignum vita curuli
 18 traxit iter primaeque senes cessere juventae.
 19 Jam tum canities animi, jam dulce loquendi
 20 pondus et attonitas sermo qui duceret aures.

21 Mox undare foro victrix opulencia linguae
 22 tutarique reos. Ipsa haec amplissima sedes
 23 orantem stupuit, bis laudatura regentem.
 24 Hinc te pars Libyae moderantem jura probavit,
 25 quae nunc tota probat ; longi sed pignus amoris
 26 exiguae peperere morae populumque clientem
 27 publica mansuris testantur vocibus aera.
 28 Inde tibi Macetum tellus et credita Pellae
 29 moenia, quae famulus quondam ditavit Hydaspes ;
 30 tantaque commissae revocasti gaudia genti
 31 mitibus arbitriis, quantum bellante Philippo
 32 floruit aut nigri cecidit cum regia Pori.
 33 Sed non ulterius te praebuit urbibus aula :
 34 maluit esse suum ; terris edicta daturus,
 35 supplicibus responsa venis. Oracula regis
 36 eloquio crevere tuo, nec dignius umquam
 37 majestas meminit sese Romana locutam.
 38 Hinc sacrae mandantur opes orbisque tributa
 39 possessi, quidquid fluviiis evolvitur auri,
 40 quidquid luce procul venas rimata sequaces
 41 abdita pallentis fodit sollertia Bessi.
 42 Ac velut expertus lentandis navita tonsis
 43 praeficitur lateri custos ; hinc ardua prorae
 44 temperat et fluctus tempestatesque futuras
 45 edocet ; adsiduo cum Dorida vicerit usu,
 46 jam clavum totamque subit torquere carinam :
 47 sic cum clara diu mentis documenta dedisses,
 48 non te parte sui, sed in omni corpore sumpsit
 49 imperium cunctaque dedit tellure regendos
 50 rectores. Hispana tibi Germanaque Tethys
 51 paruit et nostro diducta Britannia mundo,
 52 diversoque tuas coluerunt gurgite voces
 53 lentus Arar Rhodanusque ferox et dives Hiberus.
 54 O quotiens doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
 55 quod te non geminis frueretur iudice ripis !
 56 Unius fit cura viri, quodcumque rubescit
 57 occasu, quodcumque dies devexior ambit.
 58 Tam celer adsiduos explevit cursus honores ;
 59 una potestatum spatiis interfuit aetas
 60 totque gradus fati juvenilibus intulit annis.
 61 Postquam parta quies et summum nacta cacumen
 62 jam secreta petit privatam gloria portum,
 63 ingenii redeunt fructus aliique labores,
 64 et vitae pars nulla perit : quodcumque recedit
 65 litibus, incumbit studiis, animusque vicissim
 66 aut curam imponit populis aut otia Musis.
 67 Omnia Cecropiae relegis secreta senectae
 68 discutiens, quid quisque novum mandaverit aevo
 69 quantaque diversae producant agmina sectae.
 70 Namque aliis princeps rerum disponitur aer ;
 71 hic confidit aquis ; hic procreat omnia flammis.
 72 Alter in Aetnaeas casurus sponte favillas
 73 dispergit revocatque deum rursusque receptis
 74 nectit amicitiiis quidquid discordia solvit.
 75 Corporis hic damnat sensus verumque videri
 76 pernegat. Hic semper lapsurae pondera terrae
 77 conatur rapido caeli fulcire rotatu
 78 accenditque diem praerupti turbine saxi.

79 Ille ferox unoque tegi non passus Olympo
80 immensum per inane volat finemque perosus
81 parturit innumeros angusto pectore mundos.
82 Hi vaga collidunt caecis primordia plagis.
83 Numina constituunt alii casusque relegant.
84 Graiorum obscuras Romanis floribus artes
85 inradius, vicibus gratis formare loquentes
86 suetus et alterno verum contexere nodo.
87 Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid
88 docta Cleantheae sonuerunt atria turbae,
89 inventum quodcumque tuo, Chrysippe, recessu,
90 quidquid Democritus risit dixitque tacendo
91 Pythagoras, uno se pectore cuncta vetustas
92 condidit et major collectis viribus exit.
93 Ornantur veteres et nobiliore magistro
94 in Latium spretis Academia migrat Athenis,
95 ut tandem propius discat, quo fine beatum
96 dirigitur, quae norma boni, qui limes honesti ;
97 quatenam membra sui virtus divisa domandis
98 objectet vitiis ; quae pars injusta recidat,
99 quae vincat ratione metus, quae frenet amores ;
100 aut quotiens elementa doces semperque fluentis
101 materiae causas : quae vis animaverit astra
102 impuleritque choros ; quo vivat machina motu ;
103 sidera cur septem retro nitantur in ortus
104 obluctata polo ; variisne meatibus idem
105 arbiter an geminae convertant aethera mentes ;
106 sitne color proprius rerum, lucisne repulsi
107 eludant aciem ; tumidos quae luna recursus
108 nutriet Oceani ; quo fracta tonitrua vento,
109 quis trahat imbriferas nubes, quo saxa creentur
110 grandinis ; unde rigor nivibus ; quae flamma per auras
111 excutiat rutilos tractus aut fulmina velox
112 torqueat aut tristem figat crinita cometem.
113 Jam tibi compositam fundaverat ancora puppim,
114 telluris jam certus eras ; fecunda placebant
115 otia ; nascentes ibant in saecula libri :
116 cum subito liquida cessantem vidit ab aethra
117 Justitia et tanto viduatas iudice leges.
118 Continuo frontem limbo velata pudicam
119 deserit Autumnus portas, qua vergit in Austrum
120 Signifer et noctis reparant dispendia Chelae.
121 Pax avibus, quacumque volat, rabiemque frementes
122 deposuere ferae ; laetatur terra reverso
123 numine, quod prisca post tempora perdidit auri.
124 Illa per occultum Ligurum se moenibus infert
125 et castos levibus plantis ingressa penates
126 invenit aetherios signantem pulvere cursus,
127 quos pia sollicito deprendit pollice Memphis :
128 quae moveant momenta polum, quam certus in astris
129 error, quis tenebras solis causisque meantem
130 defectum indicat numerus, quae linea Phoeben
131 damnet et excluso pallentem fratre relinquat.
132 Ut procul adspexit fulgentia Virginis ora
133 cognovitque deam, vultus veneratus amicos
134 occurrit scriptaeque notas confundit harenae.
135 Tum sic diva prior : "Manli, sincera bonorum
136 congeries, in quo veteris vestigia recti

137 et ductos video mores meliore metallo :
 138 jam satis indultum studiis, Musaeque tot annos
 139 eripueri mihi. Pridem te jura repossunt :
 140 adgredere et nostro rursum te redde labori
 141 nec tibi sufficiat transmissae gloria vitae.
 142 Humanum curare genus quis terminus umquam
 143 praescipsit ? Nullas recipit prudentia metas.
 144 Adde quod haec multis potuit contingere sedes,
 145 sed meriti tantum redeunt actusque priores
 146 commendat repetitus honos, virtusque reducit
 147 quos fortuna legit. Melius magnoque petendum
 148 credis in abstrusa rerum ratione morari ?
 149 Scilicet illa tui patriam praecepta Platonis
 150 erexere magis, quam qui responsa secutus
 151 obruit Eoas classes urbemque carinis
 152 vexit et arsuras Medo subducit Athenas ?
 153 Spartanis potuit robur praestare Lycurgus
 154 matribus et sexum leges vicere severae
 155 civibus et vetitis ignavo credere muro
 156 tutius objecit nudam Lacedaemona bellis :
 157 at non Pythagorae monitus annique silentes
 158 famosum Oebalii luxum pressere Tarenti.
 159 "Quis vero insignem toto sub principe curam
 160 respuat ? Aut quando meritis majora patebunt
 161 praemia ? Quis demens adeo qui jungere sensus
 162 cum Stilichone neget ? Similem quae protulit aetas
 163 consilio vel Marte virum ? Nunc Brutus amaret
 164 vivere sub regno, tali succumberet aulae
 165 Fabricius, cuperent ipsi servire Catones.
 166 Nonne vides, ut nostra soror Clementia tristes
 167 obtundat gladios fratresque amplexa serenos
 168 adsurgat Pietas, fractis ut lugeat armis
 169 Perfidia et laceris morientes crinibus hydri
 170 lambant invalido Furiarum vincla veneno ?
 171 Exultat cum Pace Fides. Jam sidera cunctae
 172 liquimus et placidas inter discurrimus urbes.
 173 Nobiscum, Theodore, redi." Subit ille loquentem
 174 talibus : "Agrestem dudum me, diva, reverti
 175 cogis et infectum longi rubigine ruris
 176 ad tua signa vocas. Nam quae mihi cura tot annis
 177 altera quam duras sulcis mollire novalis,
 178 nosse soli vires, nemori quae commoda rupes,
 179 quis felix oleae tractus, quae glaeba faveret
 180 frugibus et quales tegeter vindemia colles ?
 181 Terribiles rursum lituos veteranus adibo
 182 et desueta vetus temptabo caerula vector ?
 183 Collectamque diu et certis utcumque locatam
 184 sedibus in dubium patiar deponere famam ?
 185 Nec me, quid valeat natura fortior usus,
 186 praeterit aut quantum neglectae defluat arti.
 187 Desidis aurigae non audit verbera currus,
 188 nec manus agnoscit quem non exercuit arcum.
 189 Esse sed injustum fateor quodcumque negatur
 190 justitiae. Tu prima hominem silvestribus antris
 191 elicis et foedo deterges saecula victu.
 192 Te propter colimus leges animosque ferarum
 193 exuimus. Nitidis quisquis te sensibus hausit,
 194 intruet intrepidus flammis, hiberna secabit

195 aequora, confertos hostes superabit inermis.
 196 Ille vel Aethiopum pluviis solabitur aestus ;
 197 illum trans Scythiam vernus comitabitur aer."
 198 Sic fatus tradente dea suscepit habenas
 199 quattuor ingenti juris temone refusas.
 200 Prima Padum Thybrimque ligat crebrisque micantem
 201 urbibus Italiam ; Numidas Poenosque secunda
 202 temperat ; Illyrico se tertia porrigit orbi ;
 203 ultima Sardiniam, Cyrnum trifidamque retentat
 204 Sicaniam et quidquid Tyrrhena tunditur unda
 205 vel gemit Ionia. Nec te tot lumina rerum
 206 aut tantum turbavit onus ; sed ut altus Olympi
 207 vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,
 208 perpetuum nulla temeratus nube serenum
 209 celsior exsurgit pluviis auditque ruentes
 210 sub pedibus nimbos et rauca tonitrua calcat :
 211 sic patiens animus per tanta negotia liber
 212 emergit similisque sui, justique tenorem
 213 flectere non odium cogit, non gratia suadet.
 214 Nam spretas quis opes intactaque pectora lucro
 215 commemoret ? Fuerint aliis haec forte decora :
 216 nulla potest laus esse tibi, quae crimina purget.
 217 Servat inoffensam divina modestia vocem :
 218 temperiem servant oculi ; nec lumina fervor
 219 asperat aut rabidas suffundit sanguine venas,
 220 nullaque mutati tempestas proditur oris.
 221 Quin etiam sontes expulsa corrigis ira
 222 et placidus delicta domas ; nec dentibus umquam
 223 instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.
 224 Qui fruitur poena, ferus est, legumque videtur
 225 vindictam praestare sibi ; cum viscera felle
 226 canduerint, ardet stimulis ferturque nocendi
 227 prodigus, ignarus causae : dis proximus ille,
 228 quem ratio, non ira movet, qui facta rependens
 229 consilio punire potest. Mucrone cruento
 230 se jactent alii, studeant feritate timeri
 231 addictoque hominum cumulent aeraria censu.
 232 Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
 233 utilior nullo confessus murmure vires ;
 234 acrior ac rapidus tacitas praetermeat ingens
 235 Danuvius ripas ; eadem clementia sani
 236 gurgitis immensum deducit in ostia Gangen.
 237 Torrentes immane fremant lassisque minentur
 238 pontibus et volvant spumoso vertice silvas :
 239 pax majora decet ; peragit tranquilla potestas,
 240 quod violenta nequit, mandataque fortius urget
 241 imperiosa quies. Idem praedurus iniquas
 242 accepisse preces, rursus, quae digna petitu,
 243 largior et facilis ; nec quae comitatur honores,
 244 ausa tuam leviter temptare superbia mentem.
 245 Frons privata manet nec se meruisse fatetur,
 246 quae crevisse putat ; rigidi sed plena pudoris
 247 elucet gravitas fastu jucunda remoto.
 248 Quae non seditio, quae non insania vulgi
 249 te viso lenita cadat ? Quae dissona ritu
 250 barbaries, medii quam non reverentia frangat ?
 251 Vel quis non sitiens sermonis mella politi
 252 deserat Orpheos blanda testudine cantus ?

253 Qualem te legimus teneri primordia mundi
 254 scribentem aut partes animae, per singula talem
 255 cernimus et similes agnoscit pagina mores.
 256 Nec dilata tuis Augusto iudice merces
 257 officiiis, illumque habitum, quo jungitur aulae
 258 curia, qui socio proceres cum principe nectit,
 259 quem quater ipse gerit, perfecto detulit anno
 260 deposuitque suas te succedente curules.
 261 Crescant virtutes fecundaque floreat aetas.
 262 Ingeniis patuit campus certusque merenti
 263 stat favor : ornatur propriis industria donis.
 264 Surgite sopitae, quas obruit ambitus, artes.
 265 Nil licet invidiae, Stilicho dum prospicit orbi
 266 sidereusque gener. Non hic violata curulis,
 267 turpia non Latios inconstant nomina fastos ;
 268 fortibus haec concessa viris solisque gerenda
 269 patribus et Romae numquam latura pudorem.
 270 Nuntia votorum celeri jam Fama volatu
 271 moverat Aonios audito consule lucos.
 272 Concinuit felix Helicon fluxitque Aganippe
 273 largior et docti riserunt floribus amnes.
 274 Uranie redimita comas, qua saepe magistra
 275 Manlius igniferos radio de scripserat axes,
 276 sic alias hortata deas : "Patimurne, sorores,
 277 optato procul esse die nec limina nostri
 278 consulis et semper dilectas visimus aedes ?
 279 Notior est Helicone domus. Gestare curules
 280 et fasces subiisse libet. Miracula plebi
 281 colligite et claris nomen celebrate theatris.
 282 "Tu Jovis aequorei summersam fluctibus aulam
 283 oratum volucres, Erato, jam perge quadrigas,
 284 a quibus haud umquam palmam rapturus Arion.
 285 Inlustret circum sonipes, quicumque superbo
 286 perstrepat hinnitu Baetin, qui splendida potat
 287 stagna Tagi madidoque juba adspergitur auro.
 288 "Calliope, liquidas Alciden posce palaestras :
 289 cuncta Palaemoniis manus explorata coronis
 290 adsit et Eleo pubes laudata Tonanti.
 291 "Tu juga Taygeti frondosaque Maenala, Clio,
 292 i Triviae supplex ; non aspernata rogantem
 293 amphitheatrali faveat Latonia pompae.
 294 Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
 295 arte ligent certoque premant venabula nisu.
 296 Ipsa truces fetus captivae ducat ab antris
 297 prodigia et caedis sitientem differat arcum.
 298 Conveniant ursi, magna quos mole ruentes
 299 torva Lycaoniis Helice miretur ab astris,
 300 perfossique rudant populo pallente leones,
 301 quales Mygdonio curru frenare Cybebe
 302 optet et Herculei mallent fregisse lacerti.
 303 Obvia fulminei properent ad vulnera pardi
 304 semine permixto geniti, cum forte leaenae
 305 nobiliorem uterum viridis corrumpit adulter ;
 306 hi maculis patres referunt et robore matres.
 307 Quidquid monstriferis nutrit Gaetulia campis,
 308 Alpina quidquid tegitur nive, Gallica siquid
 309 silva tenet, jaceat ; largo ditescat harena
 310 sanguine ; consumant totos spectacula montes.

311 "Nec molles egeant nostra dulcedine ludi :
312 qui laetis risum salibus movisse facetus,
313 qui nutu manibusque loquax, cui tibia flatu,
314 cui plectro pulsanda chelys, qui pulpita socco
315 personat aut alte graditur majore cothurno,
316 et qui magna levi detrudens murmura tactu
317 innumeras voces segetis moderatus aenae
318 intonet erranti digito penitusque trabali
319 vecte laborantes in carmina concitet undas,
320 vel qui more avium sese jaculentur in auras
321 corporaque aedificent celeri crescentia nexu,
322 quorum compositam puer amentatus in arcem
323 emicet et vinctu plantae vel cruribus haerens
324 pendula librato figat vestigia saltu.
325 Mobile ponderibus descendat pegma reductis
326 inque chori speciem spargentes ardua flammis
327 scaena rotet varios et fingat Mulciber orbis
328 per tabulas impune vagus pictaeque citato
329 ludant igne trabes et non permissa morari
330 fida per innocuas errent incendia turrets.
331 Lascivi subito confligant aequore lembi
332 stagnaque remigibus spument inmissa canoris.
333 "Consul per populos idemque gravissimus auctor
334 eloquii, duplici vita subnixus in aevum
335 procedat pariter libris fastisque legendus.
336 Accipiat patris exemplum tribuatque nepoti
337 filius et coeptis ne desit fascibus heres.
338 Decurrat trabeata domus tradatque secures
339 mutua posteritas servatoque ordine fati
340 Manlia continuo numeretur consule proles."